



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

Parisiis, 1644

II. Vt abbates & monachi suis obedient episcopis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15625

C A P I T V L A.

I.

In primo igitur titulo statuimus, vt unusquisque episcopus ecclesiarum ministerium cum suis clericis ordinate teneat in suis sedibus.

II.

In secundo titulo, vt omnes abbates se & fratres suos, & monasteria, & abbatissæ se & moniales suas, & monasteria, secundum beati Benedicti regant statuta, & ipsi abbates & abbatissæ cum suis congregationibus & cœnobiis sint obedientes, & per omnia subditi suis episcopis. Nullus eorum recipiat monachum alienum, aut sanctimoniale, nisi per abbatis sui & abbatissæ iussionem. Si quis hoc decretum violare præsumperit, anathema sit.

III.

Tertio autem titulo statuimus, vt omnes ecclesiæ & clerici sint sub iure sui episcopi; nec potestatem aliquam habeant super ecclesiæ aut clericos laici. Ecclesiæ autem sint integræ, & non diuisæ, cum presbyteris & diaconis, & cum totius anni circuli libris, cum ornamentis ecclesiasticis; ita vt non sacrificent cum calice ligneo, vel fictili. Vesteres autem presbyteri sint in sacrificio amictus, alba, cingulum, stola, casula, manipulus. Vesteres diaconi, amictus, alba, cingulum, stola, dalmatica, manipulus. Altaris vero ara tota sit lapidea, & ab episcopis consecrata. Hostia sit ex frumento sana & integra. Vinum sit mundum, & aqua munda, ita vt inter vinum, hostiam, & aquam Trinitas